

rem nostram partem minimè reiectam, sed gratè, auideq; acceptam esse intellexerim, ita quòd breui temporis curriculo; ab anno nempe 1590. ad presens usque tempus, Septies, hoc est, ter Venetijs, bis Taurini, semel Lugduni, & nunc iterum etiam (ut fertur) Antuerpiæ impressa fuerit. Accipe igitur nunc, optime Lector, hilari fronte, animoq; libenti hanc etiam posteriorem partem, quam minimè tibi ingratham, imò magnopere cordi fore (ut ex priori conijcio, cum eadem materia utriusque subiecta sit) confido. Ea autem in tres secatur libros, in quorum primo, breuiter, & sacrorum Canonum authoritate, vniuersa tractatur materia de Sacramentis. In secundo vero, variæ materiae explicantur, quæ vel non satis exactè declaratæ, vel nec etiam tactæ erant in priori. In tertio demum libro agitur de Prælatiis, & personis Ecclesiasticis, quid scilicet seruare, quidve cauere debeant. His ergo si tuis votis minus satisfecero meis laboribus Lector beneuole, aut si quid esset erratum; mihi, mearumque tum animi, tum corporis imbecillitati virium, plurimisque à superioribus meis, quibus deesse nec debeo, nec possum, mihi impositis occupationibus ascribas. Sin autem quid erit boni (ut spero, & opto) id omne Deo, à quo cuncta bona proficiunt, acceptum referas, nam omne datum optimum (ut Diuus Iacobus ait) & omne donum perfectum, de sursum est, descendens à patre luminum. Reliquum est solum, ut hoc te vnum moneam, ac etiam tester; me omnes lucubrationes meas, omnes labores, & vigilias meas, Sancta Romana Ecclesia (à qua ne transuersum quidem unguem discedere volo, quod enim illa approbat, ego probo, quod rursus reprobat, idem reprobo) decreto, authoritatique submittere, atque subijcere. Vale.

Venetijs, ex Cænobio Sancti Georgij Maioris, Kalendis Maij  
à Christo nato M. D. XCVI.

